

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Programma Scholasticvm De Vtilitate Ex Pietate Litteras
Redvndante Qvo Examen Solemne Scholae Latinae In
Orphanotropheo Glavchensi d. VIII. & VIII. ...**

Lateinschule zu Halle

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], [1731?]

VD18 90813561

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



No.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.

131B:13

58166 f 400

[32]

33.

PROGRAMMA SCHOLASTICVM
DE
VTILITATE EX PIETATE IN
LITTERAS REDVNDANTE
QVO
EXAMEN SOLEMNE
SCHOLAE LATINAЕ
IN ORPHANOTROPHEO GLAVCHENSI
d. VIII. & VIII. Octob. Anni MDCCLXXI.
INSTITVENDVM
ET
ORATIONES VLTIMAE
SEX ORDINIS SELECTI CIVIVM
DE
MISERIA LITTERATORVM
d. VIII. Oct. H. L. Q. C.
HABENDAE
LITTERARVM PATRONIS ET FAVORIBVS
OFFICIOSISSIME INDICVNTVR.

32

PROGRAMMA SCHOLASTICUM
IN STAGNA EX FRATRIBUS IN
LITTERAS REDUNDANTIA
EXAMEN SOLVIMENTE

FRANCKESCHE STIFTUNGEN



Insedit in multorum animis, atque inuetrauit proh dolor! opinio, veram in Deum optimum maximum pietatem litterarum cultoribus minus conuenire, iisque studiorum impedimenta ponere. Qua sententia dubito, an alia vnquam fuerit, & a vero remotior, & ipsis litteris periculofior, licet specie veri & rationibus ad circumueniendum callide excogitatis non careat, nec proletarios tantum & capite censos, sed classicos & primi ordinis in ciuitate litteraria viros patronos habeat, qui vel pietatem penitus ignorant, vel ab eruditione & sapientia vera longe absunt, vel vt prudenter agere & per officiorum rationes bonam mentem negligere, aut certe excusatius illam pessundare videantur, in hanc opinionem animis pedibusque transeunt, illamque viuendo confirmant. Adeo a felicitate nostra & ipso Deo, naturae prauitate abhorremus homines, vt eius longissimo diuortio miseri delectemur, & hanc alienationem ineuitabilem & necessariam fingere, quam detestari & effugere malimus. Cui malo. quod nobiscum nascitur, in scholis alitur, in academiis inualescit, & per omnem denique vitam cum incredibili ipsius eruditiois & aeternae felicitatis iaetura graffatur, vt medicina paretur, bonus quisque elaborat. Nos, vt innocentior saltem iuuentus, quae in scholis ad vtilitatem publicum adolescit, recliora edoceatur, contrarium iam demonstra-

A 2

tum

tum ibimus, pietatem litteris prodesse magis quam obesse, & ex ea neglecta eruditionem innumera detrimenta capere.

Ante vero quam hoc fiat, ipsius pietatis explicatione opus erit, ne omnia ea, quae homines vel per ignorantiam vel inuidiam splendido hoc nomine insigniunt, intelligere existimemur. Neque enim anilis supersticio ad conceptas formulas, inanes ritus & caerimonias solemnies obseruandas comparata: neque infucata vultus, sermonis, vitaeque ratio, aut supercilio & seuerior morositas: neque ciuilis morum honestas, temperantia & modestia ad humanas aequi bonique leges composita: nec benignior in alios humanitas: nec demum reuerentia & naturalis amor in parentes & superiores, quam Romani olim pietatem vocarunt, aut si quid aliud ex natura corrupta profiscitur, pietas est. Sed ea animi diuinitus emendati & caelesti luce ac virtute iniciati integritas, qua homo cum DEO per Christum intime coniunctus, nuntio omnibus rebus aliis missis, totus ab illo pendet, & omni studio viriumque contentione id vnice agit, vt ipsi placeat, ex eius voluntate viuat, ac familiarius cum eo coalescat, ipsoque tandem aeternum fruatur. Hanc pietatem nemo hominum a natura habet: haec sola sibi semper & vbiuis constat: haec non temporis, studiorum, viriumque partem quandam aut hominem dimidiatum, sed totum, quantus est, sibi vindicat, quem ita immutat, vt alius plane fiat, quam natura ipsum formauerat: haec non virtus est, sed omnium omnino virtutum complexus, fundamentum & radix est: ad hanc aditus nemini, ne infantibus quidem & pueris praeclusus est, nullus tamen homo eam sic consequitur, vt vltiorum progressuum locus non sit: huius nobis perfectissimum exemplum Christus praeiuit, dum mortalitate indutus in terris ageret. Quicquid hanc imaginem non refert, quam venustum, pulchrum & amabile videatur, meretricium est, pietatis nomen mentitur, & ab illa tantum differt, quantum falsum a vero, terra a caelo, umbra a corpore.

Ex hac igitur pietate, quae & quanta in litteras redundet utilitas, iam disputabimus. Varia illa & multiplex est, potest tamen commode ad aliquot potiora capita reuocari, quae ordinis

nis causa sigillatim lustrabimus. Primum in eo ae litteris praecolare meretur pietas, quod in illarum cultoribus ignauiam pellit, & calcar ipsis ac stimulum addit fortissimum. Multa fastidia deuoranda, innumerae molestiae, sudores & calamitates superandae, & incredibiles labores exantlandi sunt ab illis, qui litteris operantur, & ad solidae eruditionis decus adsiprant, quibus profecto segniter, remissius & negligenter agere, cuticulam curare, otio disfluere, sibiique indulgere non licet. Quamobrem veterus excutiendus, animus, ne torpore vñquam langueat, quotidie excitandus est, in primis si naturae tarditate & stupore laborat, aut ad socordiam & leuitatem propendat, faces admouenda sunt & studiorum incitamenta, quae aliunde quam a pietaate rectius & felicius non petuntur. Tantum enim neque ambitionis valet gloriae & aemulationis cupidus, nec lucri & diuitiarum dira fames, nec voluptratis ex litteris perceptae recordatio, quantum haec vñica bonae mentis integritas: quae vel horam, ne dum diem aut longius tempus otiose transfigere, sibi vivere & occasionem bene agendi negligere nefas dicit: quae DEVM obseruatorem studiorum suorum, censorem & monitorem praesentem habet: quae vltimam horam instare & rationes temporum, virium, sumtuum totiusque vitae, in decretorio die postulatum & subductum iri intelligit: quae omnem aeternitatem, ad quam creati sumus & viuimus a breuissima vita bene maleue, studiose negligenterue transacta pendere cogitat: quae DEO consecrata eiusque innun eris beneficiis deuineta indefesse elaborat de gratiis ei vel ipso sanguire habendis: quae, vt verbo dicam, DEI causa litteras tractat, & flagrantissimo ipsius amore tota consumitur. Fortior est hic castat mentis ad studia impetus, constantior & generosior, quam qui a gloria aliisque illecebris humanis est, nunquam enim spe & fine suo excidit, nunquam turbatur & a se distrahitur, sed continuus & perpetuus est, ac eundo vires acquirit.

Secunda vtilitas, quam litterae pierati debent, in eo consistit, vt animum serenum, tranquillum, alacrem, a curis, commotionum & cupiditatum turbis vacuum reddat. Quae mentis sedatae tranquillitas dici non potest quantum iacet ad litterarum

studia , sicut turbatior & fluctuans animus ingenii vires obtundit, frangit, debilitat. Hanc vero mentis tranquillitatem & omnium curarum, cupidinumque missionem sola pietas efficacissime imperat. Nam DEVM sibi conciliatum & propitium habere, apud illum gratia valere, ipsi omnes vitae studiorumque rationes probare, de ipsius paterno fauore & prouida cura certissimum esse, ea demum vera animi tranquillitas est, quae homini formidine, curis & cupiditatibus interdicit. Atque haec sui neglectionem acerbe vindicat. Felicius sane litterae his nostris temporibus florarent, nisi qui illis se addixerunt, felicitatis & suae & aliorum oblii, priuata commoda, pro suae quisque propensionis intemperantia sectarentur, curis & sollicitudinibus exderentur, affectuum fluctibus circumagerentur, ad mutuas digladiationes, aut illiberalia mancipiorum & parasitorum seruitia & sexcenta mala abriperentur. Et bone DEVS quam misere is in litteris versabitur, qui vel malorum conscientia & futuraru[m] rerum, sane quam formidolosissimarum, terroribus angitur, vel ira vehementiori aestuat, vel tristitia grauiori deprimitur, vel iactu libidine vritur, vel plurium cupiditatum furiis simul exagitatur. Viliora opicia & sellulariae artes, quae corpus potissimum requirunt, aegrius forte peragi possunt animo perturbato & a laboribus distracto, litterarum certe studia sic tractari non possunt, ut quae omnes animi vires in vnum collectas, bene dispositas & a perturbationibus liberas requirunt.

Tertia pietatis utilitas est, quod frenum iniicit litterarum cultoribus, illosque intra mediocritatis limites continet, ne ad id, quod nimium est in litteris, & a vitio non differt, intemperanter abripiantur. Grauissimus morbus est & eruditioni nocentissimus studiorum praecipitatio, in quam facillime delabuntur, qui vigore & immoderata alacritate abundant, in primis si portentosae polyhistorias pruritu vellicantur. Hoc morbo qui laborant, tumultuarie litteras tractant, per scientias, seu earum potius superficies & extremitates peruvolant, rudem & indigestam confusae materiae molem corradunt, & dum id operant, vt ante maturitatem sapientiam maturent ad perpetuam imaturitatem properant, atque in omnibus disciplinis multa dicunt,

scunt; nihil autem quod solidum sit, perfectum & suis partibus absolutum. Alii litterarum helluones breui tempore insatiabili voracitate omnem eruditionem deglutire, & litteris se ingurgitare satagunt, dies noctesque insomnes in libris consumunt, fortiter in seipsofaeuiunt, & non corporis solum, quod studiosissime enecant, sed animi etiam robur ita conuellunt, ut post aliquot annorum intemperiem ad incitas redacti, vel omni labore supersedere & valetudinem curare necesse habeant, vel misis plerisque litteris, quas ad futuram obliuionem didicerant, aegre redeant ad sobrietatem. A qua pernicie nemo sibi melius cauet, quam intemeratae pietati deditus, illa enim vna optime prouideret, ne quid detrimenti capiant litterae ex iuuenili & concitatori festinatione. Sicut otiosos stimulat, ita etiam nimis currentes retinet & moderatur, mature omnia, suo ordine & tempore fieri, corporis rationem haberi, rebus & laboribus singulis limites ponit iuber sapientissime.

Quarto praeterea loco ab opinionibus praeiudicatis animum liberat pietas, quae eruditioni longe sunt perniciossimae. Homo enim, qui se hominem esse experiundo didicit, & humanae imperfectionis conscius, nihil humani a se alienum esse nouit, nec se praecepitanter, nec alios, si homines sunt, auctores coeco impetu sequetur, sed omnia legitime examinabit, a partium, sectae & officiorum studio immunis, veritatis vestigia leget, nil odio, inuidia aut amore hominum crebet, sed rem vti est, ex vero, diiudicabit. Parum enim sollicitatur diuina meus aliorum sententiis, externis commodis aut incommodis, & dummodo in sentiendo & agendo veri rectique sibi conscientia sit, in illo tramine immota pergit.

Accedit quinta utilitas, quae ex pietate in eruditionem de-
riuatur, quod & intellectum hominum & voluntatem, cuius magnum est in intellectum imperium emendat, hominem recte sapere ac iustum & aequum rebus pretium statuere docet, quem tamen re nullus vere eruditus carere potest. Etenim si quis vel omnem litterarum farraginem conquisiisset, linguas omnes calle-
ret, historiarum vicissitudines & nexus in numerato haberet, atque artium, disciplinarum & scientiarum quarumvis ambitum e-
mensus

mensus esset, posset is doctus, litteratus, polyhistor & multiscius vocari, eruditus vero, sapiens & prudens vocari non posset, nisi animus simul e ruditate naturali vindicaretur, & iudicium hominis subigeretur, ad bona malis, meliora leuioribus, necessaria utilibus & haec gratis & iucundis anteponenda. Et ad veram hanc sapientiam, fine qua ipsa eruditio rudis manet, vnum pietatis iter patet, quae hominem prouidum & oculatiorem reddit, vt nunquam praesenti rerum grato vel ingratu sensu regatur, sed veri bonique gustum habeat, & omnia ex finibus, eorumque arctissimo vinculo diuidicet, atque illos, quo diuiniores, perenniores & ultimo fini propiores sunt, eo meliores reputet. Eadem & inclinationes motusque voluntatis ita temperat, vt rerum aestimia non ab his propensionibus, sed haec potius ab illis pendeant, ea que sequantur. Tanta est & tam peruersa animi naturalis prauitas, vt nisi diuinam emendationem subierit, errore & stultitia vacare nequeat. Actiones enim omnes adeo cohaerent, vt ultimo hominis fine, ad quem nascimur & viuimus omnes, posthabito, nec velimus, neque etiamsi vellemus, possimus bonos nobis fines praefigere, aut accommodatas ad illos consequendos vias ingredi, sed deteriora semper sequamur. Quam ob rem sacratior codex recte timorem domini sapientiae initium praecipit. Illi vero rationes suas male subducunt, qui de sapientia minus quam scientia, & de eruditione prudentiaque leuius quam doctrina laborant, vnde euenire solet, vt per omnem vitam insigniter ineptiant, magno conamine magnas saepe nugas agant, gravissimasque curas sic instituant, vt postquam fabula acta est & persona ipsis detrahitur, consiliorum suorum, serius tamen quam par erat, ipsis poeniteat, & vnum hunc laborum fructum habeant, se gnaviter, cum ratione, aliisque applaudentibus insanuisse, per hominum ora & sermones circumvolitasse, ipsisque vanitatis spectaculum praebuisse. Tantine litteratis constat stultitia? adeo re ipsis laboriose operandum est vt insipient?

Cum hoc emolumento coniunctissimum est sextum, ex eodem verae sapientiae studio ortum, quod pietas ad veram & aeternam utilitatem, litterarum usuram concedit. Non scholae & umbræ sed vitae & aeternitati discimus, aut discere debemus litteras

teras , magna igitur eruditionis pars est , eruditione recte vti-
Quae Tantali apud poetas fortuna fuit , vt fame sitique confice-
retur in mediis vndis fructibusque , eadem multorum doctorum
conditio est , quibus iratum numen , vna cum casta mente ab
ipsis susque deque habita , litterarum , quibus circumfluunt , vsu-
ram ademit . Nec sibi nec aliis vere prosunt doctrina sua , auaris
simillimi , qui opes corraderे norunt , illis frui nesciunt . Pietas
vero vtilem & fructuosam fieri iubet eruditionem , hominem o-
mnibus usurpandum permittit , & facit vt vel mediocriter do-
ctus , modestus , facilis & laboriosus plures fructus ad utilitatem
publicam conferat , quam multa inutilia terraे pondera , litteris
onusti , earum tamen tenacissimi .

Septimum litterarum commodum ex bona mente redun-
dans in eo consistit , vt contra vitia eruditorum vfitatissima , o-
ptimum sit praesentissimumque remedium . Habent singulae ho-
minum aetates , vitae conditiones , & ordines sua propria vitia ,
adeo familiaria , vt vix ac ne vix quidem nonnulla eorum , omnia
vero nunquam , homini sibi relicto per naturae corruptionem
ad optimarum rerum abusum pronae , evitare licet . Litterato-
rum in primis familia tot abundat vitiis domesticis , vt ipsa libro-
rum enumeratio , qui in illis explicandis occupantur , librum fa-
ciat . Et quis nisi in litterario orbe penitus hospes , fastum , te-
meritatem , impudentiam , sorditatem , vmbriticam superbiam ,
circulatorias fraudes , litteraria furta , digladiationes & alia his
gemina mala , quae eruditionem populantur , ignorat . Quorum
si quis vnum alterumue praeterire conabitur , incidet in aliud ,
priori forte periculosius . Vna tutissima pietatis via per hos
scopulos & praecepsita secure itur . Illa enim ab extremis
ad mediocritatem reuocat animum , a ventosa vanitate , re-
rumque sacrarum contemtu , quae alias a litteris diuelli diffi-
culter possunt , conseruat , & contra haec pericula praemunit .

Vltima utilitas pietatis , quae vel primo loco commemo-
randa fuisset , ea est , vt vires necessarias diuinitus sufficiat , labo-
rumque felices progressiones atque exitus desideratos impertiat .
Nam quotiescumque animus sub onere laborum defatigatus &

viribus exhaustus DEVVM praesentem supplex veneratur, sancte amplectitur, eiusque consuetudine fruitur, non potest non ex hoc inexhausto fonte vires nouas, nouumque robur consequi, & suspiriis ac deprecationibus in se deriuare. Neque illa res alia, infractas & labefactatas vires ita instaurat, instauratas confirmat, confirmatas auget, quam efficacissimus diuini fauoris sensus, qui non solum animum recreat & refocillat, sed in ipsum corpus robore influit. Si his secundis ventis vela damus, iisque ferentibus vehimur, nemo potest credere nisi expertus, quantus cursus breui tempore conficiatur. Et sane, aut ipsum arbitrium rerumque humanarum moderamen summi DEI inficiandum est, negandumque omnes rerum euentus ex ipsius voluntate fieri, aut fatendum est, rectius rebus suis consulere neminem, quam qui de huius summi rectoris & studiorum moderatoris fauore consequendo & conseruando sollicitus est.

Plura supersunt emolumenta, quae ex hoc diuinae virtutis fonte manant, licet paullo remotius, quorsum e. g. pertinent, quod aliorum & praeceptorum saepe amicitias conciliat, a sumptibus, tempore, viribus inutiliter dilapidandis, & alienis rebus agendis, homini cauet, cetera, verum cum haec leuius momentum trahant, neque tam numero & multitudine, quam pondere & praestantia rationum caussa agenda sit, & illa, quae proxime ex pietate fluxerunt, satis abunde fidem sententiae nostrae faciant, diutius huic argumento inhaerere supersedemus, si vnum duntaxat ex innumeris testem, omni exceptione superiorem produxerimus, diuinum Paullum, qui εὐσέβειαν grauiter edicit πρὸς πάντα ὡφέλιμον. I Timoth. III.

Reliquum tamen est, ut maleferiatorum hominum officias examinemus, & obiectionibus eorundem obuiam eamus, a quibus tamen, si serio res agitur, non erit, quod caussae nostrae multum timeamus. Vna illarum, eaque grauissima est, multam iacturam temporis fieri per pietatis exercitia, preces, cetera, quod longe felicius ad studia insumi posset. Tria vero sunt, quibus hic fumus dispelli potest, si primum dicamus, longe plus temporis ab aliis, qui nihilosecius magna doctrinae gloria turgent, inutiliter consumi ad explendas cupiditates, & vana illa studia tractanda quae

quae, vt nunquam profutura, fastidit animus DEO sacratus. Certum deinde est & exploratum, ad recreationem & instauracionem virium vicissitudine quadam opus esse, quam felicissime his diuinis interstitis parari demonstrauimus: nemo tandem dubitat, quin haec temporis iactura, si iactura dicenda est, quod DEO denouetur, felicissime compensari possit numinis fauore.

Prouocant etiam profani homines ad innumera exempla castarum mentium, quae in litterarum studiis rudes & a doctrina alienissimae manserunt, & in quibus haec pietatis utilitas minus se probauit. Qua fallacia, vt in scholis loquimur, caussae non caussae, satis callidas fraudes nectunt, soluta tamen non admodum difficiles. Non enim sola pietas ad eruditionem sufficit, quod nemini vñquam, ne febricitanti quidem in mente venit. Plura sane, ingenium natura non ineptum, bona institutio, discendi ardor, & diligens cultura ad illam requiruntur: id tamen non efficient hi nequitiae patroni, bonam mentem in caussa fuisse, cui, quod aliunde accedit, perperam & iniuriose tribuitur. Potest etiam hoc telum ita retorqueri, vt verius adfirmemus longe plures profligatis moribus, flagitiis, cupiditatibus & ipsa improbitate a doctrina impediri.

Aliud praesidium contrariae sententiae in eo quaeritur, quod multi impii, ab hac saltem diuina virtute alienissimi homines, eruditione claruerunt. Verum licet liberalius hoc ipsis concedamus, omni tamen adseueratione affirmamus, longe eruditiores & sapientiores illos futuros fuisse, accedente pietate, & longe maiorem in ipsis aliquos redundaturam fuisse utilitatem.

Addunt pietatis contemtores, per sacras tabulas omnia abneganda, ipsam eruditionem & sapientiam flocci pendendam esse. Quod vere quidem, sed inuidiose tamen, vafre, & malitiose dicunt. Nam & ea sapientia, quae contemni debet, iejuna, imaginaria, fictitia, nulla est, & ipsas litteras abnegare, est minoris illas facere quam diuinam & aeternam sapientiam, iisque non ad fastum & ultra limites, sed modeste, suo loco, suaque opportunitate vti. **Quemadmodum**, si ipsam vitam abnegare &

odisse iubemur, nemo sanus id de interfectione sui & ipsius vitae contemtione interpretabitur, eadem ratione eruditionem abnegando erudit euadimus.

Nec desunt qui litteratorum sortem conqueruntur & insuperabiles difficultates obtendunt, quibus virtutis & bonae mentis studium circumseptum teneatur, ac si miraculis & prodigiis opus esset ad illas superandas & haec studia coniungenda. Hitem non in virtutem, sed litteras iniurii sunt, quae aeternum auerruncandae essent, si pietatem arcerent, hominesque a felicitate sua distraherent. Potest his pudor subfundi multis praelaris exemplis virorum, qui utramque prouinciam per se conjunctissimam studiose ornarunt, & ita litteras tractarunt, ut pietatis detrimentum nullum, pietatem vero, ut litterae multa incrementa caperent.

Alii tandem audacter calumniantur, pietatem barbariem & ignorantiam in orbem inuexisse, ipsasque leges diuinis velle, ut ratione eiurata, & posthabita, stulti fiamus. Sed hi maculam, quam innocentissimis mentibus aspergere student, sibi ipsis invrunt, & vel ignorantiam produnt, dum superstitionem pro pietate habent, vel ignominiosam malitiam declarant, dum obfuscatae & febriculosa rationis fugam, rectumque & suis limitibus circumscripsum usum sanac rationis, eius eiurationem vocant.

Ex illis quae hactenus differuimus, satis appareat, & quam male suis partibus satisfaciant paedagogi, qui laboriosissime quidem iuuentutem, suae curae concreditam, ad litteras formant, mentis tamen emendationem proorsus negligunt: & quid causae sit, cur officii religione teneri nos credamus ad bonae mentis studium in schola nostra sancte vrgendum, quo nobis adeo nihil prius, nihil antiquius est, ut operam & oleum in illis pueris perdidisse putemus, qui ad illam se formari non patiuntur. Caste hoc & intemperate factum esse, vos, in primis testamur, optimi iuuenes, qui iam ex disciplina nostra manumittemini. Et utinam vos omnes huius litterarum & pietatis consortii & conspirationis felicissimae testes ac documenta producere liceret, qui re ipsa comprobarent hanc bonae mentis cum eruditione con-

tin-

iunctionem. Verum, si quid nostra apud vos valet au&toritas, postremum hoc a vobis nos impetrare finire, aut a vobis met ipsi hoc impetrare, vt intemeratae pietatis studium in defesse suscipiatis, & hunc tramitem, quem toties tortiesque vobis praecipimus, ingressi, ab eo vñquam recedere nefas habeatis, neque cum casta mente pariter ac cum schola, bonaे mentis sede, diuortium fecisse arbitremini. Ita DEVS profectionem vestram fortunabit, ita felicissime pericula academicæ prætereribitis, nostramque de vobis exspectationem non frustrabimini.

Vos vero studiorum nostrorum patronos & fautores, qui nobis bene cupere nouis quotidie voluntatis vestrae significationibus declaratis, obseruant & officiose rogamus, vt si per graviora negotia fieri potest, iustrationem iuuentutis nostræ solemniores, vestra præsentia condecoratis, & tam declamationibus, quam examini linguis auribusque fauatis, nec tempus male locasse existimetis, quod ad iuuentutem vestro fauore inflammandam impenditis. Posteriori iustrationis die, VI ordinis selecti ciues laboribus scholasticis bene defuncti ultimos sermones habebunt CHRISTIAN. GOTLOB HEERMANN, IO. KAGEL, & CHRIST. FRIDERIC. SCHMERWITZ, quorum primus quinque & dimidium, secundus quinque, tertius septem annos in disciplina nostra, singuli vero integrum annum in hac suprema classe obsequentiissime & diligenter transegerunt. MICHAEL FRIDERIC. VNRVHE, IOH. GEORG. BUCHOLZ, & HENRIC. CHRISTIAN. HOLLÄENDER, qui VI menses in hoc ordine honeste & laudabiliter consumserunt, ultimus II & sesqui annum, reliquì duo biennium in hac schola fuerunt bonaे mentis & litterarum elegantiorum studioſissimi. Faxit DEVS O.M. vt bonis omnibus cumulati suae singuli & publicae felicitati diu intersint. Reliqua, quo ordine ex consuetudine nostra peragentur, sequentes tabulae indicabunt

ORATIONES

AB ACADEMIAE CANDIDATIS EX ORDINE SELECTO HABENDAE:

- I. MICHAEL FRIDERIC. VNRVE, Cremmensis Meso-Marchicus, exhibitos viris eruditis honores canet carmin, latin.
- II. HENRIC. CHRISTIAN. HOLLAENDER, Anglo-Cimber, de felicitate litteratorum dicet, latine.
- III. IO. GEORG. BVCHOLTZ, Berolinus, miseriam litteratorum deplorabit, oratione latina.
- IV. CHRISTIAN. FRIDERIC. SCHMERWITZ, Conariensis, miseriam philosophorum inter gentes explicabit latine.
- V. IO. KAGEL, Gardelegiensis Marchicus, de vitiis & miseriis litteratorum ex ambitione fluentibus, ager, carm. latin.
- VI. CHRISTIAN. GOTTLÖB HEERMANN, Sproeda-Magdeburgicus, de miseria litteratorum ex voluptate & auaritia oriunda loquetur, & suo simul ac reliquo nomine scholae nostrae valedicet, germanice.
- VII. IOACH. LEONHARD. HERMES, Vkero - Marchicus, remediis contra vitia & miseriam eruditorum explicatis, discessuris iter academicum gratulabitur german, carmine.

His orationibus interserentur quaedam diligentiae profectuumque specimina, ab iisdem edenda, in Theolog. Logic. Latin. Lingua, Anthropologia, Historia litteraria, & Oratoria.

TALV.

TABVLA DECLAMATIONVM

a

QVIBVSDAM CLASSIS PRIMAE DISCIPVLIS DE MORIBVS HABENDARVM

d. VII. Octobr.

IO. DAVID. MICHAELIS, Halensis, dicet de peruersitate
morum, latino carmin.

BENIAMIN BOELDIKE, Plaeniza Rupinensis, de conuersati-
one, latine.

IO. CHRISTOPH. DEICHMANN, Magdeburgicus, de ini-
tiatione, german.

THEODOR. GOTTLIEB EDELING, Schvanebeca-Halber-
stad. de vero verae virtutis exemplo, Christo, suo si-
mul & duorum antecedentium commilitonum nomine
scholam valere iubebit, carmin. german.

GEORG. FRIDERIC. WEGNER, Baervvalda - Neo- Marchi-
cus, de correctione quotidiana aget, & abituris studio-
rum mutationem gratulabitur, latine.

CONSPECTVS EXAMINIS

d. VIII. Octobr.

H. VIII-XII.

- | | |
|--------------------|--------------------------|
| 1. Theolog. V. | 7. Historic. II. |
| 2. Latin. VII. | 8. Histor. I. |
| 3. Graec. V. | 9. Latin. II. super. |
| 4. Graec. I. | 10. Latin. I. |
| 5. Latin. IIII. | 11. Theolog. III. super. |
| 6. Latin. II. inf. | 12. Musica. I. |

b. II-V.

b. II-V.

- | | |
|-----------------------|-------------------|
| 1. Theolog. III. inf. | 6. Hebr. III. |
| 2. Arithm. I. | 7. Gallic. II. |
| 3. Latin. III. inf. | 8. Geograph. I. |
| 4. Latin. III. super. | 9. Geograph. II. |
| 5. Graec. III. | 10. Theolog. III. |
| | 11. Music. II. |


d. VIII. Octobr.

b. VIII-XII.

1. Theolog. III. super.
2. Graec. III.
3. Actus oratorius & examen ordinis selecti.

b. I-V.

- | | |
|------------------|-------------------|
| 1. Theolog. VII. | 6. Geograph. III. |
| 2. Arithm. II. | 7. Gallic. III. |
| 3. Latin. V. | 8. Latin. VI. |
| 4. Hebr. I. | 9. Arithm. III. |
| 5. Hebr. III. | 10. Geometr. |
| | 11. Theolog. VI. |



131 B. 13

W 18

